



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis, De Varietate//
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 231

III Quod hic per fidem potest Deus, in futuro autem poterit videri per speciem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29814

LIBER PRIMVS.

in forma visibilis creaturæ, in qua pro dispensatiōe temporū, vbi voluit, & quibus voluit, iustis apparuit, nec potuit nec potest videri, sed poterit cum ad supernam patriam peregrinatio nostra peruenerit, & mortale nostrum immortalitas beata vestierit, atq; ad cōtemplationem diuinam, vel perceptionem celestium præmiorum, omnes vere fideles, fides ipsa, quæ hic futura credebantur, impleta perduxerit.

Quod hic per fidē potest, in futuro autē poterit Deus videri per speciē. Cap. III.

AIt enim sanctus Apostolus: Per fidem ambulamus, non per speciem. Fides ergo est per quam ambulatur, & species quæ videtur. Quia in hac vita vbi per fidem bene viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus. In futuro autem peruenientes ad speciem iam non erit quo vel vt proficiendo vltius ambulemus, sed ipsam speciem, ad quam per fidem spiritalem ambulamus, peruenimus, insatiabili delectatiōe videbimus. In quantum autem valet humana mens, quam suus creator ad suam fecit imaginē, studeat etiam hic intelligibiliter Deum videre per fidem, vt eum plenius videat cum peruenerit munere ipsius conditoris sui ad speciem.

In quanta claritate ab electis suis videbitur Deus in regno suo.

Caput . V.

Prosp.
2. Cor. 5.